DE PRAECAVENDA PERINAEI RUPTURA IN PARTU.

DISSERTATIO
INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE III. M. JULII A. MDCCCXLI.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

Theod. Frid. Adolph. Pelkmann
BEROLINENSIS.

OPPONENTIBUS:
G. HUGUENEL, med. et chir. DD.
H. EICHHOLZ, med. et chir. Cand.
R. LEHMANN, phil. Cand.

BEROLINI,
TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, DOCTISSIMO, EXPERIENTISSIMO

C. Alex. Ferd. Kluge,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI ET PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO IN ACADEMIA REGIA MEDICO-CHIRURGICA MILITARI, PROFESSORI PUBLICO EXTRAORDINARIO IN UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI, BORUSSORUM REGI A CONSILIIS REI MEDICAE INTIMIS, NOSOCOMII CARITATIS BEROLINENSIS, QUOD EJUS AUSPICIIS FLORET, DIRECTORI, COLLEGII SUPREMI EXAMINIBUS MEDICIS HABENDIS CONSTITUTI SOCIO, ORDINIS AB AQUILA RUBRA IN CLASSE TERTIA EQUITI, COMPLURIUM SOCIETATUM LITTERARIARUM SODALI ETC. ETC.

PRAECEPTORI AC FAUTORI

DILECTISSIMO, HUMANISSIMO

NEC NON

PATRI

OPTIMO, CARISSIMO

Frid. Sam. Pelkmann

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

LITTERATURA.

J. C. Gehler, Progr. de ruptura perinaei in partu cavenda. Lips. 1781.

Hamburgisches Magazin f. d. Geburtshülfe v. J. J. Gumprecht und J. W. Wigand. Bd. II.

A. Elias v. Siebold, Journal für Geburtshülfe, Frauenzimmer- und Kinderkrankheiten. Bd. V.

L. Mende, Beobachtungen und Bemerkungen aus der Geburtshülfe und gerichtlichen Medizin. Götting. 1824. Bd. I. und II.

Neue Zeitschrift für Geburtskunde von W. H. Busch, Joseph d'Outrepont und F. A. Ritgen. Bd. III.

C. Ch Hüter, Bemerkungen über die Verhütung des Dammrisses, in d. neuen Zeitschrift f. Geburtskunde Bd. I.

A. Fr. Hohl, Die geburtshülfliche Exploration. Halle 1834. Bd. II.

M. H. Mendel, De perinaei cura in partu. Wratislaviae 1811.

J. Eisele, Diss. in. de tutela perinaei in partu. Tubing. 1826.

In hominum educatione quum una procedat necesse sit animi eruditio et corporis confirmatio, e quibus haec feminarum certe quidem, quatenus ad stirpis diuturnitatem et propagationem spectet, medici partus adjutoris esse videatur, hic ipse religionis quodam officio obstrictus est, ut et organa sexualia apte conformanda curet, et ad integram eadem normam formata servare quocunque modo studeat. Maximam igitur obstetricis curam poscit partus, cujus in decursu tutela organorum sexualium, quae externa saepe ita vexantur ac laeduntur, ut feminis per totam vitam gravissima incommoda supersint, maximi est aestimanda; inter quas partes praecipue perinaeum periclitari experientia docet. Antiquissimi jam obstetriciae arti praefecti viri periculum perinaeum laedendi cognoverunt, qua re artis obstetriciae historia varia magis minusve probanda consilia perinaei laesionem evitandi profert, quorum brevis dijudicatio hic locum habeat.

Hippocrates et permulti cujuscunque temporis ad hunc finem commendant applicationem externam medicaminum emollientium et relaxantium, ac praecipue inunctiones pinguium, ut olei calidi, adipis anserini cum oleo infusi,

olei pinguis recenter expressi, ne acre quid in se habeat, butyri non saliti axungiaeve porcinae; nec non fomentationes decocti Malvae et Foeni graeci, et insessus. Utrumque consilium et inunctionum et fomentationum alii probant, alii omnino inutile esse contendunt. E quibus hi quidem relaxantem horum remediorum effectum aut omnino negant, aut minutissimum esse vix concedunt. Ita Gehlerus ea de causa inunctionem tollit, quia pinguia naturali genitalium calore liquefacta defluant, nec eam, quam habere velimus, vim possint, Widemannusque vetat, quia epidermidem tantummodo mollire possit.

At esse quendam certe, etiamsi minutum pinguium effectum negari non potest, quum et in ipso defluendo tantum tamen in cute haereat, ut aliquid valeat, et etiamsi perinaei musculi minus relaxentur, tamen labia pudendorum tantum emolliantur, ut extensiva eorum facultate perinaei tensio deminuatur. Quare, quamvis minoris effectus, remedium tamen nescio an inter cetera idonea remedia locum habere jure posse videatur.

Magis certe probanda sunt fomenta et insessus, quod caute neque nimis calida, neque nimis diu et continuo adhibita, partes emolliunt et relaxant; praecipue sunt commendanda apud primiparas provectioris aetatis, ubi partes majore rigiditate moliminibus vias pro partu dilatandi obices objiciunt, quae ut sola natura superentur, matri et fructui summum periculum creent. At ne hoc quidem loco vix illam, quam volumus, vim habere possunt, si ante ipsum partum, vel in partu ipso adhibentur; ad naturae enim similitudinem fomenta externa genitalia jam extremo graviditatis tempore ad magnum gravemque partus actum praeparare debent, et extremo gra-

viditatis mense adhibenda sunt. Haud minimam autem vim, aliquantum temporis adhibita, habebunt, ubi durae vetustorum ulcerum et rupturarum cicatrices perinaei deminuunt extensivam facultatem.

Gehlerus fomentorum efficacitatem non negat, nisi nimis diu ac frequenter adhibentur, et saepissime ea juvisse asserit; attamen Levreto concedit (1), qui fomentorum emollientem et relaxantem vim omnino negans, genitalia potius iis intumescere ac indurescere contendit. Gehlerus, ut ejus verbis utar, dicit: „Poterit tamen et horum (fomentorum) usus, certe si diutius adhibentur, nocere ideo, quoniam his fotibus vasa sanguifera nimis expanduntur ita, ut magna in iis sanguinis copia confluat, quae partium, quas flexiliores reddere tentamus, tumorem et duritiem potius efficit; hinc balnea vaporosa jure taxat cel. Levretus, quae et ego saepissime valde nocuisse, vidi." Talia effici posse negari quidem non potest, sunt vero neutiquam sequelae fomentorum ipsorum, sed eorum abusus et vitiosae applicationis, id quod etiam Wigandi et Sieboldi, clarissimorum virorum experientia constare paullo infra demonstravimus.

Abeunte vero saeculo quarto decimo primum mentionem esse factam invenimus, mechanica remedia medicos magis adhibenda curasse, in libro qui exstat Trotulae, ubi haec fere: „Ad periculum evitandum (rupturae pudendorum) eis in partu sic providendum est: praeparetur pannus in modum pilae oblongae, et ponatur in ano ad hoc, ut in quolibet conatu ejiciendi puerum, illud firmiter

---

(1) De ruptura perinaei in partu cavenda, J. C. Gehler. Lips. 1781.

ano imprimatur, ne fiat hujusmodi continuitatis solutio.“ Unde haec ratio exstitisse videtur, qua duo digiti in intestinum rectum infiguntur, et caput seorsum ad symphysin ossium pubis apprimitur, ita ut vagina et perinaeum retrahatur, et caput sub ossa pubis repressum, quam maxime a perinaeo retineatur. Qua quidem operatione, quum perinaeum vaginaque acerrime distorquetur et intenditur, tum capitis evolutione accelerata, externis organis genitalibus tempus non datur, quo ad emittendum praeparentur, ita ut facillime laedi possint. Itaque acerrimae et perniciosissimae intestini recti affectiones ex illa ratione proficisci fere solent.

Neque minus reprehendenda est Steinii, Deventeri ceterorumque ratio, qua tota manus seu digiti oleo imbuti in vaginam inducuntur, ut represso osse coccygis et distracta amplificataque vagina expeditior reddatur capiti excedendi facultas. Immissis autem digitis angustior etiam fit vaginae introitus, et quamvis perinaeum ab ipso capitis contactu impediatur, tamen digitis intermissis facilior datur perinaei rupturae conditio. De ejusmodi operationibus, quomodo nostris diebus medici iique clarissimi judicaverint, ex hoc fere dicto perspicue intelligitur (1): — „Ja, es giebt sogar gewissenlose Weiber, welche sich erdreisten die Schaamlippen mit den Fingern auseinanderzuziehen, um hierdurch den Austritt zu erleichtern, oder einen bis zwei Finger in den Mastdarm zu stecken, um auf diese Weise das Mittelfleisch zu unterstützen, und zugleich den Kopf herauszuhaken! Verhüte Gott, dass

(1) Lehrbuch der Geburtskunde für den Unterricht der Hebammen in den Königl. Preuss. Staaten.

eine unterrichtete Hebamme je solchen Frevels fähig wäre!"

Neque emittenda hoc loco videtur ista ratio, qua pro digitis Roonhuysii vecti caput super perinaeum effertur, eaque quum fieri non possit, quin vectis perinaeo nitatur, id ipsum, quod impedire volumus: perinaei scilicet ruptura, efficitur. Hujusce prorsus vectis loco Gehlerus tenuem adhibere vult laminam balaenatam, in marginibus atque omni superficie probe politam, quae pro flexibilitate revera minus secum ferre videtur periculi. Magna autem quae vectis applicatio profert incommoda hicce casus satis demonstrat (1).

Dominus Gaitskell ad mulierem quandam advocatus est, quae quatuordecim ante diebus adjuvante medico quodam e vicinitate, qui parientibus adesse solebat, peperat. Hic igitur omnia se bene habere affirmaverat, quumque situm ei dedisset ad juvandum idoneum, quinque vel sex doloribus parturam esse addiderat. Haec femina, quippe quae antea duos liberos, nonnisi obstetrice adjuvante peperat, jam partitura tunc inquirendo magnos insuetosque suscepit dolores, qui etiam augebantur acerrimis vehementibusque, quibus continuo medicus utebatur, adjumentis. Post quinque denique horarum laborem infantis caput ex organis sexualibus egressum est. Tunc, quum humeri infantis aliquot parienti difficultates praebere viderentur, funiculo circumstrinxit collum, et tanta vehementia traxit, ut humeri corpusque ejus una cum placenta erumperent. Quo instrumento adhibito infans complures susce-

---

(1) William Gaitskell, The Lond. med. Rep. Vol. XX. No. 119.

pit faciei laesiones. Quatuordecim post dies, quum continuo gravissimis doloribus femina esset cruciata, defluente vel invita perpetuo urina, id quod medicus ille non curabat, advocatus est dominus Gaitskell. Qui perinaeum totum usque ad intestinum rectum ruptum reperit, internumque vaginae parietem, orificium uteri, internam intestini recti membranam, impares rupti perinaei margines urina e vulnere vesicae defluente semper humidos corrososque animadvertit. Vesica urinaria in colle erat rupta.

Quibus omnibus remediis quum perinaei rupturae impediri non possent, accuratius investigatis miserrimae hujusce calamitatis causis, ad id tandem devenerunt, ut ipsum perinaeum subducta manu sustentarent. Cujus operationis commoda ut hodieque merita laude impertiuntur, ita initio haud raro negata sunt et addubitata, variasque provocarunt operandi rationes, quae tam arcte cohaerere videntur cum perinaei sustentatione, ut nesciam an hoc loco optime sit de iis agendum. Idque optime facere nobis videmur hisce duabus illustratis quaestionibus, primum:

Num omnino sustentandum sit perinaeum?

deinde:

Quomodo sustentandum sit perinaeum?

I. PERINAEI SUSTENTATIONEM

qui omnino adhibendam negant, ipsius naturae in partu labores optimum esse censent, quo impediatur perinaei ruptura, remedium et omni mechanico levamento temere arbitrantur usurpari jura naturae, quippe quae ejusmodi remediis impediatur, quominus partum commodissima

et saluberrima ratione edere possit. De adjuvanda autem natura deque ea ratione, qua remedia sint adhibenda, in varias discedunt partes medicorum sententiae. Ita Wigandus adhibendam sustentationem negat, quia natura, edito quam rectissima directione capite donec cervix sub arcu pubis versetur, eam capitis partem, quae super perinaeum evolvatur, ita diminuit, ut ad evolutionem dimensione maxime modica et angusta utatur. Quacunque igitur dum excedat caput impressione in perinaeum et in ipsum caput facta hunc statum disturbari, quum ejus directio in egrediendo mutetur, idque ipsum, quod cavendum sit, efficiatur. In eandem devenit sententiam Mendius, idemque alia quoque commemorat naturae adjumenta, quae majoris etiam esse momenti arbitratur, quum iis neglectis omnes externorum organorum genitalium laesiones oriri existimet. Principem autem esse censet vim extensivam vaginae labiorumque pudendi et majorum et minorum, et perinaei, quorum contractione caput in partu provectum ita vertatur, ut aptissime ad rimam pudendi collocari videatur. Quo igitur saepius illae partes extenduntur, eo minus contrahuntur, eoque altius caput procedit. Alterum autem est adjumentum summa extensio et majorum et minorum labiorum pudendi, qua illa omnino fere retractantur, haec in tenuem plicam mutantur, ita ut rima pudendi antea angusta et constricta in rotundum foramen vertatur. Denique quum ad certum usque modum caput processit, labia pudendi et perinaeum super illam partem, quae inest in illo, quem formaverunt, canali retractantur, nudamque relinquunt; rima pudendi tum in pristinam contrahitur formam.

Sustentato autem perinaeo naturae labores, ut caput

directione quam rectissima per externa organa genitalia producatur, aut impediri aut turbari, omnino falsum esse videtur; est enim hujus operationis, ut natura adjuvetur, et justa capitis directione externa organa genitalia integra serventur. Neque negari potest, quin aliquid valeat vagina in partu; quamquam labia pudendi nescio an id tantum efficiant in cavenda perinaei ruptura, ut vi maxime extensiva lateralem perinaei tensionem tollant. Structura autem eorum non efficitur, ut et ipsa et perinaeum retrahantur; haec enim quae videtur esse facultas, e propria capitis evolutione sequitur, cujus posterior pars sub arcu pubis statuta, faciem tollere quodammodo super perinaeum videtur, quum circum axin transversalem vertatur. — Mutationem rimae pudendi angustae in foramen rotundum capitis procedentis forma effici apparet, quum eductis ceteris partibus infantis corporis nunquam rotunda illa forma animadvertatur; sed adaptata potius est forma rimae pudendi ad partes excedentes. — Quas partes aliquantum valere in partu et medicis, qui adsunt parientibus, et magistris, qui docuerunt perinaei sustentationem, jamdiu notum est. Attamen non sunt habenda certa, quibus perinaei ruptura praecaveatur, praesidia, sed adjumenta potius uteri ad partum edendum. Qui quidem naturae in partu labores, ab hominum inde memoria quum iidem semper fuerint, nihilo tamen secius praesentibus omnibus illis laboribus, quibus perinaei ruptura praecaveri fertur, priusquam aut sustentatio aut aliud adjumentum mechanicum accesserit, maximae haud raro apparuerunt perinaei rupturae, id quod ex hisce locis planum fit librorum, qui

exstant Alberti Magni (1) et Trotulae (2): „ — ita, ut illa duo foramina unum fiant," et „Sunt quaedam, quae ex gravitate partus incidunt in rupturam pudendorum. — Item quibusdam mulieribus in pariendo male accidit propter defectum assistentium. Sunt enim quaedam, quibus vulva et anus fiunt unum foramen et idem cursus."

Experientia hucusque probatum est, omissa perinaei sustentatione, etiamsi cetera praecaveantur accurate, saepissime perinaei rupturas exstitisse. Neque igitur negari potest, ad perinaeum servandum in plurimis casibus satis valere sustentationem perinaei palma medici adstantis effectam, quamquam fieri nonnunquam potest, ut solita agendi ratio, ad optima praescripta directa, tamen non ad eum, quem velimus, perducat eventum. Ejusmodi casus facere revera possint, ut dubitetur de praestantia rationis, quum aliorum partuum observatio, ubi prosperrima rerum conditione, perinaeum nulla sustentatione addita salvum servabatur, ad ineptum illum errorem adducat, quo in omni partu perinaeum relinquitur sine sustentatione. Ut enim negari non potest, servari perinaeum in quibusdam partibus sine sustentatione, ita, si modo sine ambitione hosce casus contemplamur, nullo modo defendi poterit altera sententia, inutilem esse vel potius nocentem omnem perinaei sustentationem. Quodsi haec interdum illud, quod propositum est, minus adipiscitur, ut caveat perinaeum in evolutione capitis a ruptura, tamen hanc ob rem non omnis ratio per se ut falsa et inutilis est arguenda; sed potius aliis quibusdam causis, quae sustenta-

---

(1) Albertus Magnus, de secretis mulierum.
(2) Trotula al. Eros, de passionibus mulierum.

tione sola innoxiae reddi aut repelli non potuerunt, culpa est tribuenda. In quo quidem eae agendi modificationes diligendae sunt, de quibus in fine hujusce opusculi dicere propositum est.

Alius igitur utilitatis causa Wigandi rationem, a qua discedit Mendi sententia, paullo accuratius illustrabo, atque in utramque disseram partem. Primum igitur augeri vult turgescentiam labiorum pudendi, quae partes tam rigidae, siccae, contractae nonnumquam reperiuntur, ut vix satis facile extendi possint, nulla adhibita praeparatione. Quam ob rem balnea, inunctiones, injectiones proposuit, quae etiam adhibentur, ut humidae serventur partus viae. A qua ratione Mendus discedit, quum hisce remediis partim ne refrigeratio oriatur, partim ne mechanicis adjumentis nimia existat organorum genitalium per se valde sensibilium irritatio vereatur. Praeterea autem rationem appellat simplicem atque inutilem, quoniam ea non simul uterus et totum corpus, quod cum organis genitalibus arctissimo cohaereat modo, ad idoneum deducatur statum. At contra diaetam commendavit per aliquantum temporis observatam, partim irritantem et nutrientem, partim quiete emollientibusque balneis relaxantem.

In adjuvandis autem parientibus et a medico, qui iis adest et ab obstetrice diligente exspectare debemus, ut in curanda pariente et in diligendis et in adhibendis remediis summa agat diligentia. Hoc enim praestito officio deerunt certe illa, quae ne accedant, sunt timenda: refrigeratio et nimia genitalium organorum irritatio, quippe quae inepte et false tantummodo remediis ceterum salubribus adhibitis provocari solet. Esse autem efficacia

illa remedia etiam Sieboldi experientia comprobatum est, qui et spongias marinas decocto Althaeae, Malvae, Hyoscyami imbutas, quas ad genitalia organa imposuit, et injectiones summa esse efficacitate professus est. Ex injectionibus vero adhibitis, e quibus mala quaedam ne existant Mendus veretur, quippe quae mucum lubricas reddentem partus vias deluant, vaginaeque folliculorum mucosorum efficacitatem tollant, ex hisce igitur injectionibus, etiamsi illam, quam Wigandus arbitratur — inter illa enim numerat remedia, quibus praecavetur perinaei ruptura — utilitatem secum ferre non possunt, tamen illa, quae diximus incommoda oriri posse nullo modo videntur. Namque etiamsi mucus per se lentus et arctissime adhaerens ad membranam mucosam, injectionibus diluatur, tamen humido calore folliculorum mucosorum efficacitas augeri tantummodo, nec vero omnino tolli potest.

Ea autem, quae probata est, diaeta gravidarum in lassitudine et tarditate functionum, vel rigiditate et siccitate corporis summa esse gravitate omnibusque remediis praeferenda videtur, ubi in ipsa graviditate hae corporis constitutiones animadvertuntur. Qui quum in partu demum haud raro appareant, ejus diaetae loco remedia ad ipsas partes illas adhibenda sunt applicanda, quibus revera tunc praecipue medici uti solent, ubi ulceribus inveteratisque perinaei laesionibus cicatrices parum extensivae relictae sunt, quas, ne novae existant laesiones emollire antea opus est.

Brevi ante egressum capitis, ab eo potissimum tempore, ubi pars quaedam majoris fonticuli in perinaei margine apparet, etiam Wigandus modicam adhibet im-

pressionem manu aut nuda, aut velamine tecta, ut ipse profitetur ad leniendos dolores acerrima tensione excitatos. Id ipsum igitur, quod pellere vult, facere non dubitat, etiamsi alio consilio, tamen eodem eventu, ad quem omnis omnino perinaei sustentatio partum deducere debet, scilicet ut praecaveatur perinaei ruptura. Wigandi autem rationem, quamvis periculum perinaeo in partu impendens defendere non possit, tamen facere non possumus, quin aptissimam esse organorum genitalium ad partum praeparationem concedamus, qua sustentationi serius allatae vel maxime faveatur.

Permultum prorsus ad praecavendam perinaei rupturam interest recto parientis situ, quo abnormi praesertim situs organorum sexualium conditione, ut permagna pelvis inclinatione, longe producto vaginae introitu etc., caput in illam directionem vertere studetur, qua egrediens per rimam pudendi minimum perinaeo afferre possit incommodi. Omissis autem variis cubilibus, ut sellis, mensis, lectis, pulvinaribus obstetriciis, quorum lectus in nosocomio caritatis Berolinensi usitatus maxime idoneus mihi videtur, de situs dorsalis et lateralis praecipue majore praestantia medici certant. Boerius et Noldius, qui situm lateralem apud Britannos Hannoveranosque praecipue usitatum praestantiorem esse censent, cur ita judicent non addunt argumenta. Wigandus autem, qui et ipse situm lateralem defendit, in illa nititur experientia, quod caput infantis non semper recta directione, sed haud raro paullo magis versus sinistrum latus procedat, itaque hoc latere submisso si pariens jaceat, magis versus axim pelvis reprimatur. Neque desunt tamen exempla, ubi situs lateralis impedire non potuit, quin sinistrum perinaei latus

usque ad labium pudendi rumperetur. Ita Dr. Douglas haec fere narrat (1):

Femina quaedam, viginti tres annos nata, in primo partu observata est a discipula quadam ignara. Praecedente silentio et quiete, et haec et obstetrix summe mirari coepit, quum audirent clamorem subito feminam edere, qui ingentem quendam dolorem significare videbatur. Dr. Douglas, qui statim esset advocatus, infantis caput protrusum invenit; nec vero justa directione, sed potius proxime ad internam posterioremque sinistri femoris partem situm. Quam rem animo volvente medico novus dolor corpus ipsum foetus projecit. Partibus igitur accuratius inspectis ruptura quaedam reperta est, magno vulneri vi aut armis illato similis. Erat ea quidem quae vocatur perinaei ruptura, sed foramen partim perinaei latus ceperat, partim sinistrum pudendi labium, maxima vero parte ossis ischii tegumenta. Placenta autem eadem, qua foetus via excessit.

Ita Mendus quoque narrat, esse aliquando, ubi perinaei sustentatio, quum omnia ad naturae normam caderent, in situ laterali omissa esset, perinaeum inter intestinum rectum et frenulum labiorum pudendi ruptum.

Ubi situs uteri a norma discedit, aliaeque res abnormes intercedunt, seu ubi ipsa pariens cupit, situm lateralem concedere licet, minime tamen neglecta idonea perinaei sustentatione. Sed non est, cur hunc situm, ut Wigandus, situi dorsali apud nos usitato praeferamus, quippe qui eam ob rem praestantior sit, quod non solum

---

(1) The Med. Chirurg. Review. London 1823. p. 318—19.

in sustentatione manus usum expeditiorem et ad perinaei formam adaptiorem permittit, sed etiam cum natura magis consentit, laboresque ad partum parientis sublevat. Situs dorsalis modice initio sublevata superiore corporis parte, versus finem ac praecipue quarta finita partus periodo, in situm magis horizontalem mutandus est. Qua in re pelvis pro singulari conditione ad certum usque modum effertur, pedibusque firme affixis, manibusque ansa attractis inter labores ad partum tenetur. Crura paullo flectantur, genua modice paullo distent.

In adhibenda autem forcipe ad perinaei rupturam praecavendam forcipis solutionem, ubi in vaginae introitu caput positum sit, aptissimum esse remedium arbitrati sunt, quum ita soli naturae cetera evolutio relinquatur. In quo haec fere medicos ducebat ratio, quod spatium per se angustum forcipe magis etiam coarctetur, et forcipis operationibus partus magis acceleretur, quam quod organa genitalia ad necessariam extensivam facultatem praeparari possint. At tenuissima forcipis folia, quibus, compresso in pelvim infantis capite, tamen locus restat percedendi, nulla parte vicina matris laesa, etiam in introitu vaginae non possunt ita spatium angustum reddere. Diligenti igitur ac lenta forcipis efficacitate ad naturae modum genitalia organa extenduntur, capitisque evectio super perinaeum obstetricis traditur in manus. Quae res in egressu infantis quum eodem modo se habeant, ut in regulari partu etiam hic manum obstetricis adjutricem deesse non oportere reapse planum fieri videtur.

Priorem igitur nostrae quaestionis partem, quum ita, quantum in me est, transegerim, ut perinaei sustentatio-

nem prae ceteris perinaei adjumentis praeferendam censeam, jam transeam ad alteram quaestionis partem.

II. ALTERUM IGITUR QUAERITUR:

Quomodo sustentandum sit perinaeum?

Duo sunt summae gravitatis capita, tempus dico et modum perinaei sustentandi, quibus neglectis non solum eventum sperare non licet, sed etiam majora incommoda timenda sunt, quam omni omissa perinaei sustentatione. Tunc enim demum perinaei sustentatio instituenda est, quum foetus caput illud ad globi formam etiam extra nisum parturientis effert, quia prius suscepta idoneam capitis evolutionem retardaret, et amplificationem relaxationemque perinaei prohiberet. Vehementissimis tantummodo doloribus et nisu prius facere licet. Ut justo igitur tempore incipiamus necesse est, ut crebris investigationibus de illarum partium immutationibus, quas dolores effecerunt, certi fiamus. Ipsa autem sustentatio ita est instituenda, ut nuda manus inter femora ad perinaeum allata, illud ab ano leniter promoveat prorsus ad arcum ossium pubis, et ita doloribus durantibus regio maxime protrusa prematur, ut manus radix ad frenulum labiorum pudendi, vel hoc deficiente ad extremam perinaei partem adsit, et leniter resistens, extensionem perinaei nimium vehementem ac celerem prohibeat; nulla tamen facta vehementiore versus arcum ossium pubis impressione. Haec enim nimia impressio contrarium facile efficere potest, quum excitet urgentem uteri vim, ita ut caput evolvatur, priusquam organa genitalia ad egressum satis sint prae-

parata. Praeterea impressio ad omnes parimodo perinaei partes afferri debet, quum fieri facile possit, id quod factum est haud raro, ut, exemplo enim hoc utar, impressione ad aliquam tantummodo partem allata, aut ad frenulum labiorum pudendi, aut ad priorem perinaei partem, caput vehementissime urgens a media usque ad anum perinaeum rumperet; atque Hueterus exemplum enarrat, esse aliquando in capitis egressu, falsa adhibita ab obstetrice perinaei sustentatione in vehementissimo parientis dolore, rupturam factam a vagina seorsum usque ad clitoridem extensam. Neque manus in sustentando velamine est tegenda, quum sensus subtilitatem diminuat, totamque igitur perinaei sustentationem in discrimen vocet.

Unam vero hucusque omisi agendi rationem, qua non modo perinaei ruptura praecaveatur, sed potius pro vulnere ad sanationem iniquo, aequum acquiratur. Est haec quidem laudata perinaei incisio. Applicandam vero esse hanc rationem perinaeo seu nimis lato, seu cicatricibus degenerato, vel alieno a natura organorum sexualium inter se situ. At nulla hucusque experientia monstrata sunt exempla, tanta fuisse perinaeum latitudine, ut capitis prohibeatur egressus; probatum contra est illius alienae formationis rationis exempla in errore niti, quum frenulum labiorum pudendorum supra modum usitatum crassum ac latum perinaei pars haberetur. Hac certe rerum conditione non concedendam modo, sed necessariam etiam esse incisionem quis est, qui negare possit? Ceterum vero num haec ratio ad ceteros de quibus dictum est casus alicujus sit momenti, non satis est expeperientia comprobatum. Haec tamen omnino ratio nec

quod ad vulnus pertinet, nec quantum ad reactionem sequentem spectat, magna aestimanda est, itaque parce adhibenda, quum ipsa communia praecepta ne cruentae fiant organorum genitalium sectiones vetent, omninoque obstetrix, quantum fieri potest, ne sanguine effuso juvet, cavere debeat. De gravitate cujus rei quum persuasum sit Huetero, ut ratio lenior illius cruentae loco supponatur, multum diuque meditatus, forcipis usum remedium esse cognovit maxime ad rem aptum, atque hoc modo agit, quem brevibus hoc loco adumbrabo.

Fieri si potest, ut elato occipite sub arcum ossium pubis caput justa statuatur directione, ut sincipiti satis sit spatii concessum, sustentatum manu perinaeum salvum servatur, si praesertim haec evolutio arte effecta non nimis celeriter, sed sensim procedat, ut posteriori vaginae commissurae tempus sit ad extensionem relictum. Quod Hueterus quidem se adepturum sperat forcipe allata non ut instrumento trahendo valente, sed directionem tantummodo significante, et bene casurum esse ea de causa arbitratur, quod forcipe idonea ratione applicata integrum plerumque perinaeum servatur. Qua quidem utitur in partibus et celeriter et tarde procedentibus, ejusque afferendae tempus est, ubi modice caput perinaeum tendere incipit, quum serius adhibita illa in ipso forcipis applicandae conatu vehementes existere possunt dolores, quibus caput iniqua directione protruditur, perinaeique efficitur ruptura. Forcipe quam minima, maximaque applicata diligentia, manubrio seorsum directo, tarde agendum est, et spatia sunt intermittenda inter tractiones, quae cum dolorum intermissionibus conveniunt. Occiput sub arcu pudendorum ubi statuta est, leniter trahere forcipe licet, et ita caput super perinaeum efferen-

dum. Altera igitur manus dum forcipe agit, altera perinaeum sustentat etiam in temporibus inter tractiones intermissis, ut mutationes, si quae sint harum partium observet. Ubi elatum est caput super perinaeum ad artem legemque forceps solvitur, dum alia manus etiam in corporis evolutione perinaeum sustentat.

VITA.

Ego, Theodorus, Fridericus, Adolphus Pelkmann, confessioni evangelicae addictus, anno hujus saeculi decimo sexto natus sum Berolini patre Friderico Samuele, matre Charlotta e gente Troschel, quos optimos et carissimos parentes per Dei gratiam superstites ac salvos veneror. Primis literarum elementis imbutus Gymnasia, primum Fridericum Guilelmum, tum Friderico-Werderanum, directoribus Spilleke et Ribbeck, viris literarum et omnis humanitatis generis peritissimis florentia, frequentavi. Testimonio maturitatis tempore paschali anni MDCCCXXXVII exornatus et apud decanum facultatis medicae spect. Wagner nomen professus a rectore M. Heffter in numerum civium academicorum universitatis Fridericae Guilelmae receptus sum. Per quadriennium hi me docuerunt:

Ill. Hecker de encyclopaedia et methodologia, et de historia medicinae; Ill. Link de botanice et historia naturali; Ill. Mitscherlich de chemia experimentali; Ill. Schlemm de osteologia et splanchnologia; Ill. Mueller de anatomia corporis humani, organorum sensuum, et de anatomia comparata; ad artem cadavera secandi Ill. Mueller una cum Ill. Schlemm me instituerunt; Cel. Beneke de logice; Ill. Dove de physice experimentali; Ill. Lichtenstein de zoologia; Ill. Osann de materia medica; Ill. Casper de pathologia speciali, de arte rite formulas concinnandi et de medicina forensi; Cel. Romberg de morbis nervorum; Ill. Kluge de arte fascias rite imponendi, de chirurgia generali, de ossium fracturis et luxationibus, et de arte obstetricia cum theoretica tum practica; in akiurgia Ill. Kluge una cum Cel. Froriep duces mihi fuerunt.

Scholas clinicas medicas, chirurgicas, obstetricias, ophthalmiatricas hasce frequentavi virorum illustrissimorum et celeberrimorum: Kluge, Truestedt, Beat. Rust, Dieffenbach, Wolff, Beat. de Graefe.

Quibus omnibus viris optime de me meritis gratias quam maximas habeo, semperque habebo; imprimis Ill. Kluge, qui

per quadriennium humanissimo ac benigno vultu me amanuensem excepit.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico, quam medico, nec non examine rigoroso rite superatis, spero fore, ut summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Non semper pulmones, qui jam respiraverunt, in aqua natant.
2. Nomen amauroseos est rejiciendum.
3. Nervus supraorbitalis vulneratus amaurosin non efficit.
4. Mortem accelerare medico non licet.